

gorii Nazianzeni nobis praebent, duravitque illa Sec. adhuc XII. in quo Pet. Abelardus Introductionis in Theologiam libros III. confecit, αἰρέσεως nimium suspectos. Illius autem significationis, ex Eusebio dare possum, qui de P. E. XI. 18. affirmat, Μοσὴν μετὰ τὴν πρώτην Θεολογίαν, ad quam refert, τὴν περὶ Θεοῦ γνῶσιν, τὴν τε περὶ ὅλων διακόσμησιν, progredi porro ἐπὶ τὸ δεύτερον δόγμα Φυσικὸν ὁμοῦ καὶ Φιλόσοφον, quod de natura hominis agit. Ergo ex Eusebii sententia doctrina de DEO, eiusque operibus, nec non homine, a DEO condito, Θεολογία est, et dicitur. Et videntur veteres, hunc, in proponenda diuiniore doctrina, obseruasse ordinem, ut, diuinis consideratis, ea pariter, quae ad hominem pertinent, persequerentur. Testificantur id Locī Theologici, a Leontio Cyprio confecti, quorum hanc nobis ex Turriano sistit faciem Paullus Colomesius, in Paralip. de Script. Eccles. Opp. iunctim edit. p. 703. Absoluuntur duobus uoluminibus, altero τῶν Θείων, altero τῶν ἀνθρώπινων. Nondum illi lucem uiderunt. Vnde Colomesius, qui Locos istos Romae MSS. in Bibliotheca Fratrum Loioliticorum existare, fama, sermonibusque perceperat, uehementer optauit, *exoriatur aliquis, qui eos cum blattis ac tineis forte lucentes prodire foras iubeat.* Atque in hac tractandi Theologiam ratione studium pariter conspicitur imitandi Philosophos, qui Philosophiam non modo finiebant γνῶσιν Θείων καὶ ἀνθρώπινων πραγμάτων, sed haud dubie etiam, in ipsa Philosophiae explicatione, τὰ Θεία τοῖς ἀνθρώπinois praemittebant. Nolo tamen huc referre Pythagoricos et Italicos, quod nonnulli faciunt, apud Hornium L. III. H. P. c. VII. p. 157. Pythagoras enim, si quando aliquos Philosophia Esoterica imbueret, initium faciebat a Mathematicis, his subiungebat Philosophiam Naturalem, quam Physicam dicimus, et tum demum Theologiam persequeretur, siue, ut cum Iamblichio loquar, ἐπισήμην περὶ νοητῶν καὶ Θείων. Neque aliter forsitan Aristoteles, qui, teste Clemente Alexandrino, L. I. Stromat. p. 354. τὸ εἶδος Θεολογικόν, ἢ ἐποπτεῖαν,